



Biblioteka Jagiellońska
stdr0007433

1

2, Epitaphia Cphi. Merzinii a Kurozwoki.

3, Dresser, Chrph. Radzivil.

4, Bursius, Oratio funebris.

5, Jacobellus; Feralis pompa in funere A. Corvini.

6, Siemek; Andr. Lipe Lipski.

7, Jacobellus; idem q. no. 5.

8, Ch. de Chalecz Chalecky

9, Comenius, Spiegel guter Obrigkeit.

3

FERALIS POMPA

In funere Illustrissimi ac Gloriosissimi Viri

ALEXANDRI CORVINI GOSIEWSKI

Palatini Smolenscen: &c.

Descripta

à Jo: BAPTISTA JACOBELLO.

Ser:mæ Cæciliæ Renatæ Reginæ Poloniæ & Sueciæ, Sacellano.

Dedicata Illustrissimis DD.

STANISLAO, CHRISTOPHORO, & NICOLAO PACIIS.

Illustrissimi ac Excellentissimi

D. STEPHANI PAC PRO Cancellarij Lithuaniæ Filijs Adolescentibus & Patronis Optimis.



VILNÆ, Typis Academicis Soc: JESV, Anno 1639.

20

5

10 - 7

Illustrissimis Dominis

STANISLAO, CHRISTOPGORO, & NICOLAO PACIIS. S:

Illustrissimi DD.

Libentiùs sanè, ac meliùs, nouos huius Regni de Barbaris Triumphos, quàm luctum Cognatæ Domus, atq; vniuersæ Reipublicæ lacrymas, ob amissum Illustrissimum Dominum Alexandrum Coruinum Gosiewski, Palatinum Smolenscensem, vobis inscripsissem (Magnanimi Adolescentes.) Sed quoniã præclara Indoles ad magna nata, ideò nunc melioribus artibus excolitur, vt funestas aliquando Magnorum Senatorum iacturas in Patria reparet, ac vacuas sedes impleat; non immeritò magnarum quoq; virtutum speculum, obijcio ante oculos, vt non desint in adolescentia, quos futuris temporibus habeatis ad imitandum. Exemplum sanè rarum aspicitis pietatis, ac fortitudinis: hæc hominem ad Gloriam in terris, illa ad immortalem cum Superis vitam instituit. Fœlices, cum preclara huiusmodi ad virtutes incitamenta, non alibi requirantur à vobis, sed domi recurrant. Has igitur assiduè cõtemplando, crescite ad honores, ac munera: atq; ego interim Illustrissimis DD. Vestris fausta precatus, obsequia mea diligentissimè defero. Vilnæ die 6. Junij 1639.

Illustriss: DD. Vestrarum

Addictissimus Seruus

JOANNES BAPTISTA JACOBELLVS.

FERALIS POMPÆ DESCRIPTIO.

MOriebatur Alexander Coruinus Gosiewski, Palatinus Smolenscensis, Vir ob militarem virtutẽ æuo dignus, ac forte pectus, centies olim pro Patria præliantium ictibus expositum, nunc biennali, siue morbi, siue inimicæ Mortis obsidione conflictatum, paulatim elanguebat; cùm animus mortalis gloriæ satur, ad immortalem vitã aspirans, piè, sanctèq; compositus, placidè euolauit ad Deum. Cecidit Heros fortissimus, Regni decus, Militiæ robur, Moscouitarum terror, Suecorum excidium; sanè primus, qui Gustauum aliquando collimauit tormento, docuitq; cæteros, posse occidi. Inuictus, illæsus, diuina sæpiùs manu tectus, parta pace publica, pacatisque finibus, quos tuebatur, esse desijt inter viuos, viuus ipse, ac fama apud viuos nun-

 quam

quam amplius moriturus. Cecidit inter plumas, quas oderat, qui semper stetit in acie Miles: longè ab armis, qui Mensem integrũ aliquando sub armis cibum, ac somnũ sumpsit: Inermem demùm confecit Mors, qui semper armatus in Castris pro fide, ac Patria mori voluit. Obijt in Aula, qui longè ab Aula, non in Aula honores acceperat: In Ciuitate, qui Campum, & Castra Ciuitati prætulit: In Aulicorum frequentia, qui sæpius inter milites conuixit. Tres Fratres, strenuos, fortesque amisit in bello, quos olim Patriæ tutelæ deuouerat in Liuonia, filiumq́; qui eâdem viâ Paternos honores, postmodùm Domui redditos, promereri cœperat adolescens, diu inter arma, & Milites exercuit. Ciuilis belli, quod acriter detestabatur, filũ, indutis pro Rege armis, ac stricto cum cæteris gladio, abrumpere voluisset, nisi solemni ad Moscum pro Nuptijs legatione implicitum, cæso mox per rebellionem Demetrio, ac nostris magna ex parte iugulatis, in ipsa Metropoli perduelles sub custodia per triennium detinuissent; vbi impauidus, insultantis hostis, nec minas timuit, nec minari pro dignitate desijt. Secuto bello, is, qui Moscouiã, ac barbaros Moscouitarum mores notauerat præsens, illicò Militem conscripsit, ac Seueriam ferè totam, adiacentesq́ Prouincias infesto agmine peragrauit. Nullus fuit locus, recessusq́ tam abditus, quem non suo equo calcârit, aut sui terrore non impleuerit. Białłam propugnaculum fortissimum, ipsemet olim forti impetu cœpit, sperante nemine. Moscos, quoties vidit, fudit, occurritque tunc magis infestus, cùm longius esse crederent. Capta demum Moscua Metropoli, solus ipse à Magno illo virtutis Censore Zolkeuio eligitur, qui Arcem, ac Ciuitatem regeret, & tum Polono, tum Lithuano Militi promiscuè imperaret. Hic maximi propugnatoris laudem, toto Orbe in admirationem conuerso, promeruit; siquidem obsidione propè triennali, quod inauditum, in hostili Prouincia,

 con-

contra innumerabilem multitudinem, locum tenuit; prouidaq; solertia longe à suis, quorũ per Annum nec Nuntium admiserat, nec Militi defuit, nec defecit ipsi Militum fides, donec frustrato per tantum tempus hostium conatu, Arcem aduentanti successori integram tradidit. Dicere solitus erat, diutius nunquam intra septum, ac murorum ambitum, quieuisse armatũ corpus, sed animum, mentemq; continua sollicitudine, vigilijsq; agitatam, vbi tot hostes incessanter Machinas adhibebant, nunquam melius ad gloriam intendisse. Vix obsidione liber, obsidentem Smolenscum Mastrucam, & Moscos, parua suorum manu incredibili clade affecit, ac præsidium vix non tabe confectũ, suo recreauit aduentu. Dein pactis inducijs, limitaneus trium Prouinciarum Custos, & Palatinus, retentas Arces loco Principis pleno iure administrauit, ac desertas oras pacis artibus propè in pristinum decus restituit. Sed non diu Magnanimum virum

otiari

otiari patiebatur bellicus Mars; nam ingruente ad fines Turcarum procella, ipse alibi comprimendæ coniuratæ Suecorum audaciæ destinatus, arma induit, atq; impijs cognati hostis conatibus obstitit. Eundem paulo post fœdifragum, ac Curlandiam inuadentem, demandata sibi præ cæteris cum suprema potestate armorum cura, continuit, atque insigni diuersione in aliam Prouinciam arma transferre coëgit; vbi illud accidit memorandum, cùm pedites in hostem præeundo direxisset, ac pugnantibus, sese obuertendo, locum faceret, tactus globo, qui altè perforata in occipitio galea, cæteroqui innocens, inter cutim, & ferrum, veluti per gyrum, propiùs ad oculum exiuit; incolumis, & sine vulnere, redijt ad suos. Certum indiciũ, gratiorem Deo pietatem Militum, quò magis raram, ab ijsque sæpiùs certã mortem, cum minus sciant, diuina ope propulsari. Pactis iterum cum Sueco inducijs, ac renouato à Moscis bello, prouidæ ipsius solertiæ datum, quòd Smo-

len-

lenschum forti milite, atque omni commeatu ita firmârit, vt annalem obsidionem perferret, atq; aduentanti Regi triumphandi materiam amplissimam præberet ad muros. Maluisset grandæuus senex, intra mœnia præstantissimæ Arcis clausus, cùm cæteris Martis aleam subire, ac noua Moscis antiquæ virtutis reddere documenta; sed obtestante, ac vix non comminante Rege, inuitus egressus in Campum, continuò hostilem exercitũ carpendo, & suppetias sæpius in Arcem intulit, & vlteriores in apertam Prouinciam excursiones, progressusq; prohibuit. Tandem Vladislao Rege, tot victorijs inclyto, cumulata Sarmaticæ Gentis armorum gloria, atq; alta pace sopito Regno, dum vicini hostes admirabundi silent, qui hostiles Arces euerterat, Templa Deo, sibi in cœlis munimenta magnifico sumptu erexit, fundauitq;, æquato Campestrium Victoriarũ numero. Demum sanctimoniæ totus vacans, viuendi finem habuit, quem diximus, dignũ Christiano, ac pio Prin-

Principe; absq; dolore, nisi dolorem voces, dolentẽ nimis vidisse Vxorẽ, Matronã præstantissimam, qua cum Annis propè quadraginta, suscepta florentissima prole, amantissimè vixerat. Hanc sibi elegerat ex Paciana Domo, partis olim sub Vitepsko Trophæis, celebrata in historijs, atque à ducentis Annis Senatoria, clara in primis, & fide erga Patriam, & Principes insigni. Huius luctum miserebantur omnes, cùm ferale bustum ante ipsam in publicum efferretur.

Præibant longo ordine Religiosi omnes, quotquot Vilnæ erant, accensas faces præferentes, ac propitium Numen tanto Heroi inuocantes. Respondebat ad numerum Regius Musicalis Cõcentus, quẽ sequebatur Clerus, & loci Suffraganeus sub Mitra, cæteroque Pontificali ornatu. Post hæc trahebatur sex equis, pretiosiori holoserico ornatis, feralis Currus, in quo sola Mors triumphabat, sed decora Mors, quæ morienti steterat pro triumpho. Pendebat circumquaq; grande stra-

tum

tum, eodem holoserico confectũ, quod Milites aliquot in gyrum dispositi, recolligebant, collectis sæpius in eo lacrymis, quæ abundè fluebant ex oculis. Iacebat in strato exanime corpus, intra Arcam compositum, rubro holoserico ornatã, atq; argenteis capulis pulchrè distinctam. Supra caput, Christi pendentis effigies; in medio Imperatoria Claua, ac framea auro gemmisque diues: Ad pedes ipsa eadem Galea, sub qua Dei beneficio seruatus, supra Galeam scriptum Iuncta Pietate tuetur. Post hæc videre erat mœstissimam Vxorem, Filiumque in nouo Palatini Titulo reflorescentem, cæterosque Cognatos immersos in luctu. Comitabantur funus Principes Senatus non pauci, & inter eos Stephanus Pac Lithuaniæ Pro-Cancellarius, lugentis Matronæ Germanus Frater, tum sanguine, & amore, tum virtute ac moribus mortuo coniunctissimus. Sic ventũ ad Templum, inde ad Theatrum quod singulari structura erexerat Augustinus Loccius Ita-

Italus, Regius Machinarum Inuentor fœlicissimus. Referebat tumultuarium opus, à Militibus, non secus ac in Castris, congestis solummodo bellicis, quæ ad manus venerãt, instrumentis eleuatum. Basis erat per modum Arcis, quatuor propugnaculis, ad bellicam mensuram instructæ. Meritò dixisses, Castrum doloris. In angulis affixo lapide legere erat.

Hic PRO DEO ET PATRIA
BELLATORI
FORTISSIMO

Ibi REGIÆ MAIESTATIS
DEFENSORI
CONSTANTISSIMO

Alibi ACERRIMO
ARCIVM
PROPVGNATORI

Alibi MILITVM
PARENTI
OPTIMO

ad la-

ad latera munitionum prima inscriptio

Ob numerosos Moscorum exercitus profligatos
Lepunam hostem infensissimum
singulari stratagemmate
in præceps datum
Mastrukam, ac cæteros ab Smolensci obsidione
fugatos

Secunda

Ob Smolenscum forti milite, atque omni commeatu
ad sustinendam annalem obsidionem
tempestiuè munitum
Sæpius illatis suppetijs firmatum

Tertia

Ob Moscuam hostilem Metropolim
Propè ad triennium summa virtute retentam,
Atque incredibili constantia
Contra innumerabiles copias propugnatam.

Quarta

Ob Imperatoriam potestatem
sæpiùs summa cum laude,
& incredibili militum amore administratam.
Suecos astu progredientes, mira arte compressos,
Et quoties è caueis, ac latebris exciuerit,
cæsos, victosque,
Celeritate, industria, forti manu.

Collocabantur frequentes in gyrum, supra muri defensiones, bellici ænei globi, quos scilicet accenso interius puluere, in confertam turbam impetum facientem, defensores proijcere solent. Hi longo ordine propè ducenti emissa flamma funeri prælucebant. Erant alibi pensiles globi similes, qui miro artificio circumquaque spirabant ignes, quasi iam-iam in partes dissecti prosilirent. Assurgebant in medio recto ordine, quatuor maiora tormenta, quæ flammas in altum, ac pilas, veluti concepto recenter igne, euomebant. Hæc coniungebant quatuor equestres hastæ in longum demissæ, ac per fractionem in transuersum reflexæ. Totidem integræ ad punctũ in medio inclinatæ, testudinem simul, & Coronam faciebant. Interposita testudinis spatia, Vexilla hosti abrepta, pharetræ, sagittæ, frameæ, ac quidquid bellicum remanet, veluti in vnum coaceruata, implebant. Inter arma disponebantur quatuor maiores Clypei, in quorum medio huiusmodi insignia, iuxta contentum inferioris, inscriptionis erant appicta.

 Pri-

Primo loco duę manus digladiantes, & ex vna parte interuolans Coruus, iuxta antiquam Coruini historiam addito versu

EXITIVM INTERMINAT HOSTI

Secundo loco Armellinus luto circumuallatus, addito versu

TVTVS ERIT CANDOR

Tertio Aquila serpentem vnguibus arreptum è cauea extrahens, addito versu

SIC PERIT EXTRACTVS LATEBRIS

Quarto laurea Corona in altum exposita, addito versu

REFERET NEGLECTA PER OTIA LABOR

In altiori testudinis parte, ac supra hastas grandior eleuabatur gladius, quem breuis fascia intersecabat, inscriptis verbis

DEO, REGI, ET PATRIÆ.

Gladio infixa Mors, cui insidebat demortui Gentilitium Stemma, nempe equi solea, supra soleam Crux; supra Crucem Coruus, gemmatum annulum rostro tenens. In medio igitur huiusmodi fictitiæ Arcis spatio,

ac sub vmbratili testudine, strato holoserico, suppositisque quatuor ferreis galeis, Arca fortissimi Viri exuuijs diues firmatur, cùm Sacrum Musicali concentu fieri cœpit. Concionem habuit insignis Concionator, qui singulari facundiâ in demortui laudem perorauit. Sacris peractis, factoque silentio, Illustriss: ac Excellentiss: D. Christophorus Chodkieuicius Magni, illius Caroli Nepos, Castellaneus Vilnensis, qui nomine Regis interfuerat, longa Oratione, gesta, ac laudes Magnanimi Herois eloquentissimè expressit. Secutus Illustrissimus ac Excellentissimus Princeps Georgius Ossolinius Regni Pro Cancellarius, qui locum Reginæ tenuit, & amplissimum de eodem Viro recitauit elogium. Sic ordine cæteri. Tandem feralis Arca deponitur, atque inanime corpus tumulatur, dolentibus vniuersis.



Claudit Pompam, quod vltimò superuenit Epigramma Sarmatici Poëtæ.

R.P. MATTHIÆ CASIMIRI SARBIEWSKI Societatis IESV, Regij Concionatoris.

Musa tene Calamum. pro nigri rore liquoris
Gosiewij in laudem flumina magna fluunt.
Belligeri quoties rubefacta Borysthenis vnda!
Hostili quoties sanguine Duna tumet!
Huius ripa Gothis, illius ripa Gelonis
Vtraque pro Tumulo est, vtraque pro Titulo.
Cætera vis? meliùs describunt cætera lati
Pro chartis Campi, pro Calamis Gladij.
Neu scribenda nigri desint ad bella liquores,
Affundunt mæstas Natus, & Vxor, aquas.

D. O. M.

MAGNO HEROI.

Alexandro Coruino Gosiewski Palatino Smolensceñ
Bene merenti, Bene mærentes
Charissimo Coniugi
Eua Pacia, Coniux.
CHRISTOPHORVS CORVINVS GOSIEWSKI
Palatinus Smolenscensis
honoris Vicarius
&
luctus hæres
P. P.

Hist. Polon
c. Miscell

